

Quod etiam sequitur Montesinos hic disp. XXIX, quæst. v, num. CCXLIII, et numero CCXLV. Nec videtur hoc ab aliquo negari posse, quia remanere probabilitatem practicam est remanere prudenter, et moraliter sequibilem. Unde quod talis sequi possit est indubitatum in quacunque materia. Difficultas est, an in materia sacramentorum (quia non dependent ex morali nostra æstimatione, sed ex eo quod in re sunt, vel non sunt) ad formandum probabile, et practicum iudicium requiratur uti illa sententia, quæ speculative, et realiter tutior est (ut dicit prima sententia;) an sufficiat moraliter manere tutam, quidquid sit in re.

XLI. Nihilominus distinguere oportet tria, quæ in sacramentis concurrunt. Primum est, ea quæ essentialia sunt, ut materia, et forma, et potestas in ministro: secundum est, dispositio ex parte suscipientis: tertium est, id quod pertinet ad ritus, et cæremonias sacramentorum ex usu Ecclesiæ.

XLII. Dico ergo primo: Tuta conscientia procedit minister si in his omnibus tribus, quæ dicta sunt procedat secundum usum, et consuetudinem Ecclesiæ. Si autem Ecclesia diversos usus permittat, et approbet, licet unus sit probabilior, et securior alio, alius tamen sit probabilis, et admissus, utrumque potest licite sequi eo modo et forma, qua est admissus; si autem contra usum, et permissionem Ecclesiæ, alia opinio, seu usus probabilis sit, non potest in praxi tute sequi, sed debet tutiorem, et probabiliorem sequi. Itaque semper pro tuto usu, et opinione in materia sacramentorum, et quasi pro regula accipiendus est usus, et approbatio Ecclesiæ, et quidquid intra talem usum, et approbationem locum habet, probabile iudicandum est practice, et tute. Constat enim ex Concilio Tri-

dentino, sess. VII: «Approbatos Ecclesiæ usus, et ritus in sacramentis recipiendos esse, nec posse contemni, aut sine peccato a ministris prohibito omitti,» aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem omitti posse; et in rituali Romano jussu, et approbatione Pauli V edito præcipiuntur servari in usu, et administratione sacramentorum ea, quæ in illo rituali proponuntur, utpote ad usum, et consuetudinem Ecclesiæ pertinentes, qui usus, et ritus ex præscripto Concilii observari debent.

XLIII. Sic ergo prima pars conclusionis probatur, quia usus, et consuetudo Ecclesiæ in omnibus æmulanda est, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. x, art. II, si quidem majorem auctoritatem habet consuetudo Ecclesiæ, quam quæcumque auctoritas sacrorum doctorum, cum et isti ex Ecclesiæ approbatione auctoritatem sortiantur; ergo qui conformatur consuetudini, et usui Ecclesiæ in administratione sacramentorum, tute et licite procedit: nam sacramentorum administratio maxime ex dispositione Ecclesiæ dependet; ergo qui ei conformatur, tute procedit. Secunda vero pars probatur, quia si est duplex opinio, seu consuetudo, una certior, aut probabilior altera, utraque tamen ex approbatione Ecclesiæ permissa, utraque habet sufficientem probabilitatem practicam, et prudentem in hac determinata materia sacramentorum; ergo utraque potest tute sequi. Consequentia patet ex regulis generalibus supra positis, quod quidquid practice est probabile, et manet sub dictamine prudenti non potest esse dictamen defectuosum, et errans; ergo neque illicitum. Antecedens vero probatur; tum, quia illud est practice probabile, et prudens, quod non solum disputative, et speculative, sed in ipso exercitio,

et praxi virorum prudentum, et cordatorum, cum fundamento rationis, et cum superiorum notitia, et consensu approbationem habet; quod autem in Ecclesiæ usu, et approbatione permittitur maximum fundamentum habet, maximeque a cordatis, et prudentibus in usu habetur, et cum cognitione, et notitia prælatorum, quia totum hoc nomine Ecclesiæ incuditur; ergo licet sit minus probabile, est tamen sufficienter tutum practice.

XLIV. Tum etiam, quia in dicto rituali Romano Pauli V, in rubricis de sacramentis in communi dicitur: «Quod quisquis sacramenta administrare tenetur, habeat libros necessarios ad officium suum pertinentes, et librum rituale, ubi opus fuerit, semper cum ministrabit secum habeat, ritusque et cæremonias in eo præscriptas diligenter servabit.» Ergo supponit pontifex ministros debere conformari consuetudini, et legibus Ecclesiæ in his quæ ad administrationem sacramentorum pertinent, et quidquid his legibus, vel usibus præscribitur et permittitur, licite fieri, quia servat quod Ecclesia præcipit, vel permittit: pontifex autem solum hoc observari præcipit.

XLV. Et quod aliquando Ecclesia etiam toleret, aut permittat non solum tutiora, sed etiam probabilia in materia sacramentorum, constabit duobus exemplis. Primum est, circa intentionem, vel attentionem actualem in ministrando sacramento. Non est dubium, tutius et securius esse intentionem actualem habere in administratione sacramentorum, præsertim quando sunt sacramenta initerabilia ut baptismus, et ordo, et habere intentionem virtualem est minus securum, aut bonum; et tamen potest aliquis licite uti sola intentione virtuali in quocumque sacramento, quia hoc ipsum Ecclesiæ

usus approbat, ut constat ex ipso rituali Romano approbato a pontifice in rubricis de sacramentis in genere.

XLVI. Secundum exemplum est, circa dispositionem requisitam ad sacramentum confessionis. Nam securior, et tutior est contritio quam attritio cognita, præsertim in articulo mortis, quando majus damnationis periculum instat, et major salutis æternæ cura habenda est; et tamen licite, ac secure potest quis uti attritione pro sacramento pœnitentiæ, quantum est ex vi obligationis hujus sacramenti, eo quod Ecclesiæ usus, et consuetudo hoc approbat pro sufficienti materia, et dispositione hujus sacramenti, cum dicat Concilium Tridentinum sessione XIV, cap. IV: «Hanc attritionem licet sine sacramento non sufficiat justificare, tamen ad imprecandam divinam misericordiam in sacramento pœnitentiæ disponere.» Et notanter dixi ex vi obligationis sacramenti, nam ex alio capite poterit obligare præceptum habendi contritionem in extremo vitæ, non propter ipsum sacramentum conficiendum, vel effectum ejus, sed propter præceptum divinum exercendi charitatis actum, vel contritionis in hac vita, si forte usque ad illud tempus non est impletum, vel in illo articulo instat, ex vi tamen præcepti conficiendi sacramentum præcise, neque tunc, neque in alio tempore obligat præceptum adhibendi contritionem pro materia, vel dispositione sacramenti, quia sacramentum non habet aliam materiam pro articulo mortis, vel extra illum, nec aliam dispositionem petit, nec in Concillis alia assignatur. Qua doctrina, solves facile hoc argumentum quod Montesinos urget contra Vazquez hic disp. XXIX, quæst. v, numero CCXL, ad probandum debere adhibere contritionem saltem in ultimo vitæ.

XLVII. Tertia pars conclusionis probat, quia in sacramentorum administratione operans contra usum, et praxim Ecclesiæ in re gravi (nam si est levitas materiæ non loquimur in præsentibus) vel exponit se periculo non conficiendi sacramentum, vel faciendi contra præceptum, vel carenti effectu sacramenti: nullum horum est licitum; ergo antecedens probatur, quia si dubium est in materia, vel forma, aut ministro sacramenti licet aliquam habeat probabilitatem, tamen si opposita est probabilior, et in praxi Ecclesiæ, exponit se periculo ne in revera forma, et materia ponatur, et sic sacramentum erit nullum, ut in exemplo vulgari si quis baptizaret in nomine Genitoris, et Geniti, et Procedentis, quæ probabilitatem habet, quia idem significat, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tamen quia est contra praxim, et usum Ecclesiæ, et alia est expressa a Christo, non licet illa uti. Si autem est dubium circa dispositionem, si quidem fuerit contritio, vel attritio, aut in sacramentis vivorum existentia in gratia, licite potest quis uti hac dispositione, quia omnia ista sunt in usu, et praxi Ecclesiæ. Si vero aliquid minus quam ista fuerit, ut si quis sit in dubio, an sit in gratia pro sacramentis vivorum, aut si suus dolor non sit attritio, non potest sic accedere, quia exponit se periculo carenti effectu sacramenti, sed tenetur conari ad debitam dispositionem. Si denique sit dubium circa ritus, et cæremonias in re gravi, et sit contra usum, et praxim Ecclesiæ peccat, quia juxta præceptum supra ex Concilio Tridentino et rituali Romano relatam, non potest omitti pro libito usus, et consuetudo Ecclesiæ in hac parte, sed ritus et cæremonias in rituali præscriptas debent observare, et ne errent, tenentur librum illum, et alios

necessarios habere; ergo faciendo contra tales ritus peccatur.

XLVIII. Dico secundo: Quando sunt probabiles sententiæ in his quæ ad sacramenta pertinent, nec de una, aut altera parte est consuetudo Ecclesiæ, aut de hoc ipso est dubium, an detur talis consuetudo necne, in substantialibus sacramentorum tenetur probabilior sequi, et tutiorem opinionem, per se et regulariter loquendo. In his vero quæ pertinent ad dispositionem suscipientis, et ad ritus, et cæremonias accidentales non potest sequi nisi regulas ab Ecclesia admissas, vel præscriptas, et in dubio de illis id quod magis pertinet ad decorem, et venerationem sacramenti, vel ad necessitatem suscipientis, et ex his duobus necessitas suscipientis præferenda est, nisi obstet præceptum, et ordinatio Ecclesiæ. Singula explicanda sunt.

XLIX. Primo loco diximus de dubio in substantialibus sacramentorum, ut in materia, forma, ministro, quod debet sequi pars tutior. Ratio est, quia sacramenta non operantur ratione nostræ existimationis, et opinionis, sed prout in re, et juxta institutionem Christi Domini, et cum ipse instituerit in tali forma, materia, et ministro, si id vere et in re non adhibetur, sacramentum non fit, ergo minister tenetur operari secundum opinionem illam, quæ magis ipsi conformatur in his quæ pertinent ad substantialia sacramentorum, quæ immediate sunt instituta a Christo Domino, et ex quibus pendet eorum substantia, quæ utique regulari non potest penes opiniones, et probabilitates nostras, sed penes id quod vere et in re institutum est a Christo Domino.

L. Diximus autem notanter debere sequi tutiorem, et probabilior opinionem per se, et regulari-

ter loquendo, quia in aliquo casu potest contingere, quod etiam sequendo minus probabilem sententiam possit licite ministrari sacramentum. Quod præsertim contingit in duobus casibus, primo in casu materiæ dubiæ, quando alia non potest inveniri, et instat necessitas ministrandi sacramentum, ut si ministrando baptismo non invenitur nisi aqua de qua dubitetur, an sit naturalis, ut quia est nimis lutosa, aut juscunda mixta, etc. si ministranda eucharistia non invenitur nisi panis dubitanter triticeus, ut ex siligine, farre, etc. Licet enim solum sit probabile has esse materias sacramentorum, idque sub dubio, et oppositum sit probabilius, tamen suppositis circumstantiis necessitas sacramenti, et penuria materiæ, reputatur illa materia tutata, et probabilior hic et nunc ad ministrandum in illa, quantum est ex parte dictaminis, et iudicii requisiti ad ministrandum, quidquid sit, an in re fiat, vel non fiat sacramentum, cessat enim periculum, nec illi se exponit, qui cum his circumstantiis operatur; sicut etiam licite procedit, qui sub dubio an penitens sufficienter exprimat materiam, in articulo mortis absolvit, quia juxta rubricas ritualis Romani, quocumque modo exprimat peccata, in genere, vel in specie, per se, vel per alium, debet in tali casu absolvi.

LI. Secundo, contingit iste casus utendi opinione probabili relicta probabiliori, quando est opinio probabilis circa jurisdictionem ministri, ita quod sit titulus saltem apprensus, et coloratus in ministro, et probabilitas circa ejus valorem, talis licite ministrat, quia talis jurisdictionis pro illo casu suppletur ab Ecclesia, sicut suppletur ea quæ simili modo fiunt a iudice in foro externo, ex lege Barbarius ff. de offi-

cio prætoris. Cum enim jurisdictio sit aliquid mortale per Ecclesiam communicabile ministris, et supplebile, facilius in hoc intelligitur operari probabilem opinionem, quam in materiis, aut formis sacramentorum, quæ in aliquo physico consistunt, quia quod physicum est non operatur nisi prout est in re, quia sic institutum est a Christo; quod autem in moralitate consistit, operatur ratione etiam existimationis, et probabilitatis, et suppleri potest per Ecclesiæ ministerium, quæ jurisdictionem tribuit habenti coloratum titulum.

LII. Secundo loco dicimus, quod in his quæ pertinent ad dispositionem suscipientis, debet sequi quod regulæ, et usus Ecclesiæ præscribunt. Hoc ideo dicimus, quia in dispositione penitentis judicanda vix invenitur aliquid majoris, vel minoris probabilitatis, quod sit proprium sacramentorum, ut sacramenta sunt. Nam dispositio suscipientis, si sint sacramenta vivorum, notum est, quod non requiritur actualis contritio, vel attritio, aut actus charitatis per se, et ex necessitate, sed sufficit suscipientem non esse extra statum gratiæ, licet ad melius esse, et pro effectibus particularibus requiratur actualis devotio. Pro sacramentis autem mortuorum sufficit attritio, et melior dispositio est contritio; quia vero potest esse dubium, an sufficiat attritio naturalis, vel requiratur supernaturalis, aut de aliis conditionibus, et qualitatibus ad attritionem veram requisitis; in hoc tenetur minister docere, et sequi id quod magis congruum, et conveniens est necessitati suscipientis, ne exponatur periculo damnationis, et quod magis decet, et convenit ipsi sacramento, ne careat effectu suo: præsertim cum in Concilio Tridentino, ses. xiv, cap. iv, omnino exprimentur condi-

tiones, et motiva ad attritionem requisita, quæ supernaturalem attritionem requirunt.

LIII. Specialiter vero in sacramento pœnitentiæ poterit esse dubium, vel probabilitas circa materiam remotam, scilicet circa peccata, an aliquid sit vel non sit peccatum, sit mortale vel veniale. Sed hoc non est dubium de re aliqua sacramentali, ut propria sacramenti est, sed de eo quod extra sacramentum invenitur, et pertinet ad ipsam naturam moralis actus, an sit vel non sit peccatum: in quo potest quis sequi diversas opiniones probabiles, probabilitate practica manente, etiam si minus probabilis sit: de quo statim in tertia conclusione dicetur. Et similiter in sacramento matrimonii potest esse dubium, aut probabilitas, an aliquid sit vere, et proprie contractus humanus; in quo potest quis sequi probabilem sententiam relicta probabiliori, pro ea parte qua pertinet ad naturam actus moralis antecedenter ad rationem sacramenti. Aliud vero, quod ad dispositionem pœnitentiæ pertinet, scilicet quod sit factum sufficiens examen, si detur dubium aliquod, seu opinio circa sufficientiam examinis, cum sit dubium facti, potest sequi opinionem probabilem juxta regulas generales de conscientia probabili supra positas.

Tertio loco dicimus de ritibus et cæremoniis, quod si sit dubium, seu opinio circa illas, consuli debet rituale, ubi sunt præscriptæ cæremoniæ, et ritus graviores, nec licet illos omittere, vel novos introducere, ut supra ostendimus: si vero sit aliquid, quod ex prædicto rituali non possit haberi, vel censenda est res parvi momenti, quia graviora omnia ibi habentur, vel debet consulere consuetudinem, et stylum illius Ecclesiæ in qua invenitur; vel

si nihil horum cognosci possit, potest quis sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, cum hoc non sit circa substantiam sacramenti, sed circa aliquid accidentale, quod regulari debet per regulas communes de conscientia probabili et dubia; sicut etiam quando aliquis caret rituali, nec facile consuli potest propter instantiam temporis, sequi debet quod tunc sibi ut practice probabile, vel probabilius occurrit.

LIV. Dico tertio: In sacramento pœnitentiæ circa materiam remotam, quæ sunt peccata, potest et debet minister conformari sententiæ probabili pœnitentis etiam omisa probabiliori, si tamen illa sit practice probabilis. Hæc est communis sententia, ut tradi solet in materia de sacramentis in communi, et in tractatu de pœnitentia. Ratio autem ea est, quia materia remota pœnitentiæ non est materia quæ adhibetur, vel ministratur a sacerdote, sed a pœnitente, suntque actus voluntarii, et morales ab ipso commisi ante administrationem sacramenti. Unde si fuerunt facti sub probabili sententia, relicta probabiliori, in eo statu et modo quo commisi sunt, judicari debent a sacerdote; si ergo fuerunt facti sub probabili, et prudenti opinione, debet ei conformari minister, licet aliter sentiat, et aliam ut probabiliorem habeat, quia est iudex illius actionis sicut facta fuit, non executor, aut commissor illius; debet autem judicare illam opinionem esse probabilem, ergo et confirmari illi in judicando, nec potest obligare pœnitentem, ut suæ opinioni probabiliori conformetur, quia ad ipsum non pertinet nisi judicare an bene vel male fecerit, vel quantum mali fuerit illud, veniale an mortale, et consequenter an si perseveret, debeat ei denegari absolutio. In his

enim omnibus debet judicare sacerdos illum operatum fuisse sub probabili opinione, quia vere illa opinio probabilis est, non ergo amplius potest ab eo exigere. Si autem sacerdos pro improbabili habeat illam sententiam, non potest se conformare illi, quia format iudicium improbabilitatis ejus, et hoc iudicio stante, non potest ei conformari. Ergo signum est, quod pro tanto potest conformari sententiæ illi minus probabili, quia iudicat illam esse probabilem, et sub hoc probabilitatis termino debet iudicium ferre de illa, nec potest improbabilem judicare.

LV. Et si quæras, quando est dubium, an teneatur quis confiteri tale peccatum, vel tale in particulari huic confessario: vel si sufficiat infirmo confiteri peccata in generali, aut sola signa contritionis exhibere; an possit conformari minister opinioni probabili, relicta tutiori, et probabiliori, respondetur quod in primo casu semper consulendum est pœnitenti quod quærat confessarium, cui sine periculo possit confiteri, et tunc removetur dubium, quia respectu talis confessarii, non est opinabile, sed certum, quod teneatur confiteri; si autem peccatum est dubium, et nullum periculum est quod isti confiteatur, debet confiteri juxta regulam communiter admissam de obligatione confitendi peccata dubia. Si autem non possit invenire alium confessarium, et sit dubium an exstet periculum confitendi cum isto in particulari, quia sibi, vel alii damnum imminet si confiteatur hoc peccatum, in casu dubii non tenetur illud confiteri, quia in casu dubii censetur non habere copiam confessoris pro illo

casu, si quidem non obligatur cum periculo proprio, vel alieno peccatum manifestare, ergo neque cum dubio (si sit dubium fundatum) quia hoc periculum est. In secundo autem casu potest, et debet minister absolvere, quia etsi de hoc aliquando fuerit opinio an sufficiat in illo casu infirmitatis pro materia sacramenti peccata in genere audire, aut signa pœnitentiæ cognoscere, tamen in rubricis ritualis Romani jam decernitur: « Ut peccatis quomodocumque cognitis in genere, vel specie per se, vel per alium absolvatur infirmus, qui impeditus est aliter se explicare. » Debent tamen illa signa, non solum ostendere dolorem, sed etiam aliquem ordinem ad confessionem, ut quia petit, vel petivit confiteri, aut quid simile, eo quod potest quis falso errore hæreticorum existimare, non requiri confessionem, sed sufficere dolorem, vel respicientiam peccatorum. Et ideo oportet, quod signa doloris sint cum ordine ad confessionem.

LVI. Denique si petas, an si quis metu mortis compellatur uti forma, vel materia minus probabili, et quæ non est in usu Ecclesiæ extra casum necessitatis, possit illa uti, aliqui affirmant, dummodo id non fiat in contemptum fidei. Ergo vix puto posse hoc fieri in praxi, nisi propter aliquem contemptum formalem, vel virtualement Ecclesiæ, quæ tali forma non utitur: et ita nunquam id consulerem. Et hæc sufficiant dicta pro hac materia, et his quæstionibus, dum ad secundum tomum properamus, hæcque et omnia ad laudem sint CHRISTI Domini Crucifixi, Beatissimæ Virginis MARIÆ, D. THOMÆ, et Beati DOMINICI patris nostri.